

## PRÆFATIO.

sive ut loqui solent, fictione, quæ anima Pœseos audit, secundum circumstantias illustrant, unde a Platone ποιηταὶ vocantur, quia rerum, quas referunt, non narratores solum, ut Historici, sed ob imitandi artificium quasi fabricatores & auctores existunt. Omnis enim Poëta μιμητής, ait idem Plato. Sed præter Poëtarum tradendi rationem dantur aliæ quoque formæ, per quas res eadem inculcandæ, & ingenia grata varietate ducenda sunt, ut rudes animi paulatim intelligere virtutem, honestæque vitæ officia, & regere mores discant. Sane haud secus comparata est ratio institutionis moralis, atque methodi tractandi verbi divini. Etenim alii sanctos libros sub forma Dialogorum, Collationum & Colloquiorum enuclearunt, quemadmodum Job. Gerson, Cancellarius Parisiensis, in expositione Cantici fecit; alii Meditationibus, Contemplationibus, Soliloquiis eos complexi sunt, in quo genere Bernardus eminuit; alii Carmine eos tradiderunt, quod apud Grecos Gregorius Nazianzenus, seu potius, ut alii volunt, Apollinarius in Tragædia cui titulus: Christus patiens prestitit, & apud Latinos Juvenus, Presbyter Hispanus, qui, (ut Hieronymus in Epistola quadam scribit) non pertimuit Evangelii majestatem sub metri leges mittere; alii denique Notis elucidatoriis & Scholiis S. Codicem illustrarunt, cujusmodi commentariola Hugo de S. Victore circa A. C. MCXXX. adornavit. Pari modo haud defuerunt, qui ad recte constituendam vitam, & proponendum summum, ut putant, bonum, quærendaque & explicanda media ad beatitudinem ducentia, varias vias ingressi sunt. Hinc instillatæ vivendi regulæ primum per nuda præcepta, quibus deinde historias subjunxerunt, ubi exempla monstrantur boni exitus honestorum consiliorum, & pessimi eventus sce'èrum.

c

De-